

Romæ celebrato *Innocentius III.* circa annum Domini 1215. *Transubstantiationem Panis & vini* approbavit & confirmavit. *Chemnit. in Exam. Concil. Trident. par. 2. p. 141. seqq. Calvis. Chronol. p. m. 843.*

Jam si quis aliquot secula allegare vellet, *Petitionem Principii* committeret. Nos sequimur *Christum*, qui solus audiendus, ut *Cyprianus l. 2. Epist. 3.* respondet, *Paulum & reliquos Apostolos*, & totam *Ecclesiam puriorem*, quæ *Papatum* antecessit, & dicimus: *Amicus Plato, amicus Socrates, amica magis veritas*, ut inquit *Aristoteles l. 1. Ethicorum.*

2. Urgent autem *Pontificii* inprimis in adstruendâ *Missâ* locum *Malachia 1. v. 11.* quem *Jesuita Costerus* de sacrificio missæ intelligendum esse asserit autoritate *Patrum* & contextu verborum *Malachia*.

Resp. *Malachias* agit de abrogandis *Leviticis sacrificiis* & substituendis sacrificiis *N. T.* quæ sunt 1. cruentum corporis *Christi* sacrificium, in arâ crucis semel oblatum, *Hebr. 9. 12.* 2. *Hominum à fide Christi alienorum*, ad fidem *Christi* adductio,  
Esa.